

The *Lucula noctis* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/LN/index.html>)

Philosophia f

Hinc pro conclusione sui verbis utor eiusdem dicentis:

“Quicumque ad scientiam pertingere cupit, si relictam veritatem artium reliquit se implicare voluerit, materiam laboris—ut non dicam infinitam—plurimam inveniet et fructum exiguum.

Quapropter michi videtur operam dandam esse artibus, ubi fundamenta sunt omnium et pura simpliciterque veritas aperitur.

Et ideo errant qui, relictis artibus, quasdam scientias eligunt in quibus se posse fieri perfectos putant.”
Hec Hugo.

Lucula noctis, 5 (E. Hunt ed., p.43, ll.102-110).

Quicumque ad scientiam pertingere cupit, si relictam veritatem artium reliquit se implicare voluerit, materiam laboris ut non dicam infinitam plurimam inveniet et fructum exiguum.

Quapropter michi videtur operam dandam esse artibus ubi fundamenta sunt omnium et pura simpliciterque veritas aperitur;

et ideo errant qui relictis artibus quasdam sibi scientias eligunt in quibus se posse fieri perfectos putant.

Hugo in *Didascalicon* libro III.

Manipulus florum, Philosophia f

ita ut

quicumque ad scientiam pertingere cupit, si relictam veritatem artium reliquit se implicare voluerit, materiam laboris, ut non dicam infinitam, plurimam inveniat et fructum exiguum. denique artes sine appendiciis suis perfectum facere lectorem possunt, illa sine artibus nihil perfectionis conferre valent, maxime cum nihil in se expetendum habeant unde lectorem invitent nisi traductum ab artibus et accommodatum, neque quisquam in eis quaerat nisi quod artium est.

quapropter mihi videtur operam dandam esse artibus ubi fundamenta sunt omnium, et pura simpliciterque veritas aperitur,

maxime his septem quas praedixi, quae totius philosophiae instrumenta sunt. deinde cetera quoque, si vacat, legantur, quia aliquando plus delectare solent seriis admixta ludicra, et raritas pretiosum facit bonum. sic in medio fabulae cursu inventam sententiam avidius aliquando retinemus. verumtamen in septem liberalibus artibus fundamentum est omnis doctrinae, quae prae ceteris omnibus ad manum habendae sunt, utpote sine quibus nihil solet aut potest disciplina philosophica explicare et definire. haec quidem ita sibi cohaerent et alternis vicissim rationibus indigent, ut si vel una defuerit, ceterae philosophum facere non possunt. unde mihi errare videntur qui non attendentes talem in artibus cohaerentiam quasdam sibi ex ipsis eligunt, et, ceteris intactis, in his se posse fieri perfectos putant.

Hugo de sancto Victore, *Didascalicon de studio legendi*, 3.4 (C.H. Buttimer ed., p.55, ll.1-22).